



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

**Parisiis, 1644**

Concilium Diospolitanum XIV. Episcoporum, In quo Pelagius, post haereses suo iudicio damnatas, fideique catholicae professionem emissam, absolutus fuit, sub Innocentio papa I. anno Christi CCCCLXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

Donatistarum impia decreta.

hereditatis adeundæ incapaces, exilio ac relegatione dignos fore declarasset, legisque executionem Dulcizio demandasset, triginta Donatistarum episcopi statim in Concilium conuenerunt: atque in eo decreuerunt, ecclesias nequaquam deferendas esse: deportatos in exilium non obtemperare, sed voluntaria suiipsius nece, vnumquemque vim præfectorum anteuertere debere; ideo quod ita futurum arbitrarentur, vt vel a suis tamquam martyres colerentur, vel saltem commiseratione iudicum talia exhorrentium, in suis ipsorum ecclesiis tolerarentur. Plures id fecerunt: adeo vt plurium nece voluntaria perterritus Dulcitus, quid sibi agendum foret, Augustinum consuluerit. Ex epistola ad Dulcitium scripta apparet, eum respondisse, præstare, vt per mortem etiam voluntariam paucorum, plures seruarentur. Hæc ex Augustino lib. 1. contra Gaudentium cap. 19. 37. 38. &c. lib. 2. cap. 59. retractat. Bar. anno prædicto, num. 5. & sequentibus.

ANNO CHRISTI 414.

**SYNODVS IN MACEDONIA  
PROVINCIALIS SVB INNOCENTIO I.**

Anno CCCCXIV.

NOTA.

Tempus & acta Concilii.

<sup>a</sup> *Synodus.*] Ex hac, pro confirmatione rerum gestarum, missa est legatio ad Innocentium papam per Vitalem archidiaconum. Idque actum est anno Christi 414. Nam epistola Innocentii, quam ad episcopos Macedoniae reddidit, Constantio consule scripta fuit.

**CONCILIVM DIOSPOLITANVM  
<sup>b</sup> XIV. EPISCOPORVM,**

*In quo <sup>c</sup> Pelagius, post <sup>d</sup> hæreses <sup>e</sup> suo iudicio damnatas, fideique catholice professionem emissam, absolutus fuit, sub Innocentio papa I. anno Christi CCCCXV.*

Extat in collectione Cresconiana: & apud August. de peccato originali lib. 2. cap. 11. & epist. 106. ad Pelagium.

**I**NCIPIVNT capitula excerpta ex gestis habitis contra Pelagium hæreticum, & alia de libellis eius, quæ in Palæstina Synodo sibi obiecta damnare compulsus est.

Quod ad Ierusalem volentem colligere filios suos Dominus clamat, hoc nos clamamus aduersus eos, qui filios volentes ecclesie colligi, nolunt; nec saltem post iudicium, quod de ipso Pelagio factum est, collegerunt: de quo

ANNO CHRISTI 415.

ANNO  
 CHRISTI  
 457

quo damnatus exiisset, nisi obiecta contra Dei gratiam dicta, quæ obscurare non potuit, ipse damnasset. Præter illa enim quæ, quoquo modo potuit, ausus est qualicumque ratione defendere, obiecta sunt quædam, quæ nisi remota omni tergiuersatione anathematizaret, ipse anathema sit factus.

Primo obiectum est enim, cum diceret, Adam mortalem factum; qui siue peccasset, siue non, mortuus esset.

Errores Pelagii ab ipso in Concilio condemnati.

Secundo, quod peccatum ipsius ipsum solum læserit, & non genus humanum.

Tertio, & quod infantes nuper nati, in illo statu sint, in quo Adam fuit ante præuaricationem.

Quarto, & quod per mortem, vel præuaricationem Adæ, non omne genus humanum moriatur: & quod non per resurrectionem Christi omne genus humanum resurgat.

Quinto, infantes, etiamsi non baptizentur, vitam æternam habere possunt.

Sexto, & diuites baptizatos, nisi omnibus abrenuntiant, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere posse regnum Dei.

Septimo, & gratiam Dei atque adiutorium non ad singulos actus donari, sed de libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina.

Octauo, & gratiam Dei secundum merita nostra dari.

Nono, & filios Dei non posse vocari, nisi omni modo absque omni peccato fuerint effecti.

Decimo, & non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio: quoniam in propria voluntate habet vnusquisque facere aliquid, vel non facere.

Vndecimo, & victoriam nostram non esse ex Dei adiutorio, sed ex libero arbitrio.

Duodecimo, & quod petentibus veniam, non detur secundum gratiam & misericordiam Dei, sed secundum merita & laborem eorum qui per pœnitentiam digni fuerint misericordia.

Hæc omnia Pelagius sic anathematizauit, (quod satis gesta ipsa testantur) vt nihil ad ea quoquo modo defendenda disputationis attulerit. Vnde fit consequens, vt quisquis sequitur episcopalis auctoritatem iudicii, & in

ipsius Pelagii confessione tenere debeat quæ tenuit catho-  
lica ecclesia.

*Sequitur catholica Pelagii confessio post recensita ex libello ad-  
uersariorum capita in eum obiecta, quæ omnia confutauit.*

Catholicæ  
assertiones  
aduersus  
Pelagianos.

Primo, quod Adam, nisi peccasset, non fuisset mori-  
turus.

Secundo, quod peccatum eius non ipsum solum læse-  
rit, sed & genus humanum.

Tertio, quod infantes nuper nati, non sint in illo statu,  
in quo Adam fuit ante præuaricationem.

1. Cor. 15.

Quarto, ut ad ipsos etiam pertineat, quod breuiter ait  
Apostolus: *Per unum hominem mors, & per hominem resurrectio  
mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo  
omnes uiuificabuntur.*

Quinto, quod infantes non baptizati, non solum re-  
gnum cælorum, verum etiam vitam æternam non habere  
possint.

1. Tim. 6.

Sexto, ut confiteatur, diuites baptizatos, etiam si diui-  
tiis suis non careant, & sint tales quales ad Timotheum  
describit Apostolus, dicens: *Præcipe diuitibus huius mundi non  
superbe sapere, neque sperare in incerto diuitiarum suarum, sed in  
Deo uiuo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum: di-  
uites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, thesau-  
rizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vi-  
tam æternam: non eos a regno Dei posse priuari.*

Septimo, ut fateatur gratiam Dei & adiutorium etiam  
ad singulos actus dari, eamque non dari secundum me-  
rita nostra.

Rom. 9.

Octauo, ut re vera sit gratia, id est, gratis data per eius  
misericordiam, qui dixit: *Misereor cuius misertus ero, & mi-  
sericordiam præstabo cui misertus fuero.*

Matth. 6.

Nono, ut fateatur filios Dei vocari posse illos, qui quo-  
tidie dicunt: *Dimitte nobis debita nostra*: quod utique non  
veraciter dicerent, si essent omnino absque peccato.

Decimo, ut fateatur esse liberum arbitrium, etiam si  
diuino indigeat adiutorio.

Vndecimo, ut fateatur, quando contra tentationes  
concupiscentiasque illicitas dimicamus, non ex propria  
voluntate, sed ex adiutorio Dei prouenire victoriam: non

ANNO  
 CHRISTI  
 415.

enimaliter verum est, quod Apostolus ait: *Non volentis, Rom. 9. non currentis, sed miserentis est Dei.*

Duodecimo, vt fateatur secundum gratiam & misericordiam Dei veniam pœnitentibus dari, non secundum merita eorum: quemadmodum etiam ipse pœnitentiam, donum Dei dixit Apostolus, vbi ait: *Ne forte det illis Deus pœnitentiam.* Hæc omnia simpliciter sine vllis fateatur ambagibus.

Si quis contra auctoritatem catholicam, & ipsius Pelagii expressa ecclesiasticis gestis verba consentit, atque in illa quæ his sunt contraria veraciter credit; anathema esse tenendum est, nisi quæ illis contraria sunt fido corde teneantur, & aperta confessione promantur.

NOTÆ.

\* *Concilium Diospolitanum.*] Sic dictum a Diospoli, quæ est ciuitas in Palæstina, antiquo nomine Lidda appellata. Hanc Synodum S. Hieronymus epist. 79. miserabilem Synodum vocat: tum quod ea, quæ hic Pelagius gessisse dicitur, dolose egerit: tum etiam quod vere miserabilis fuerit ipsi Pelagio ista Synodus, in qua suam ipsius hæresin, cuius intrinsecus obstinatus assertor erat, condemnare coactus fuerit. Acta huius Concilii Innocentius nequaquam probare ac confirmare voluit. *Non possumus*, inquit in epistola sua 26. supra extante, *illorum episcoporum nec probare nec culpæ iudicium: cum nesciamus, vtrum vera sint gesta: aut si vera sint, illum constet magis subterfugisse, quam se tota veritate purgasse.* Baronius anno 415. num. 19. & 20.

Diospolis  
 vrbis Palæ-  
 stinæ.  
 Cur mise-  
 rabilis Syn-  
 odus ap-  
 pellata ab  
 Hierony-  
 mo.

Acta Con-  
 ciliij a pon-  
 tifice neque  
 probata ne-  
 que impro-  
 bata.

<sup>b</sup> *Quatuordecim episcoporum.*] Qui, quot, qualesve episcopi huic Synodo interfuerint S. August. lib. 2. retract. cap. 47. describit his verbis: *Per idem tempus in Oriente, hoc est in Syria Palæstina, Pelagius a quibusdam catholicis fratribus ad episcopalia gesta perductus: eisque absentibus qui de illo libellum dederant, quoniam ad diem Synodi non potuerunt occurrere, ab episcopis quatuordecim auditus est: vbi eum dogmata ipsa damnantem, quæ inimica gratiæ Dei aduersus eum de libello legebantur, catholicum pronuntiauerunt.* Item contra Iulianum lib. 1. cap. 5. ait: *Habemus alios orientales episcopos quatuordecim Eulogium, Ioannem, Ammonianum, Porphyrium, Euthonium, Porphyrium, Fidum, Zosimum, Zebanum, Nymphidium, Chromatium, Iouinum, Eleutherium, Clematium, quos vno loco simul inuentos in istum confessum introducere valeamus, illos ipsos, qui Pelagio iudices præfederunt: eumque vt homines, nullo ex altera parte urgente aduersario, putantes catholicum, tamquam catholicum pronuntiauerunt.* Eulogius, qui primus ordine recensetur, totius prouinciæ Palæstinæ metropolitanus episcopus Cæsariensis fuit, qui successit in locum

Episcopi  
 qui, quot,  
 qualesve  
 interfue-  
 rint.

Eulogius.

Concil. Tom. 4.

Yy ij

Ioannes Hierosolymitanus.

Ioannis successoris Gelasii. Ioannes ordine secundus est episcopus Hierosolymorum, de quo supra multis in locis. Eleutherius Sebastia, Euthonius Hierichuntinae ciuitatis antistites fuerunt. Alter Porphyriorum fuit ille sanctitate celebris Gazensis episcopus, qui per legationem ab imperatore impetrauit, vt Marnæo Iouis templo, aliisque deorum fanis oclusis, omnia simulacra deiicerentur, nec amplius consulerentur. Zebæus titulo sanctitatis clarus, Eleutheropolis episcopus est, cui teste Sozomeno veneranda sanctorum prophetarum Habacuc & Michææ corpora diuinitus reuelata fuerunt. Iouinus hic nominatus, vt auctor est Palladius, Afcalonis episcopus fuit.

Pelagius quis.

<sup>c</sup> Pelagius.] Pelagius natione Britannus & vagus, ex impio monacho illius hæreseos propugnator, cuius, teste Hieronymo & Augustino, Rufinus seminator fuerat. Eo tempore quo vrbs a Gothis capta fuit, absente Innocentio, clanculo hæreses suas velamento quæstionum occultatas disseminare cœpit. Demetriadi aliusque viduis nobilibus per scripta blanditus, vt eas seduceret, per Iacobum & Timasium, quos seduxerat, manifestatus, cum in hoc Concilio sua seipsum sententia per simulationem fidei catholice dolose condemnasset, a Concilio Carthagenensi & Decreto summorum pontificum non semel damnatus fuit. Quod cum ille intellexisset, ad Innocentium papam literas dedit, quibus profitebatur se catholicum esse. Quo effectu, infra dicemus in Zosimo. Baronius ann. 409. 410. 411. 414. 415. &c.

Hæreses Pelagii quæ.

<sup>d</sup> Hæreses.] Præter hæreses de libero arbitrio, gratia, &c. quæ supra recensentur, docuit homines ante aduentum Christi fuisse sine peccato: orationem non esse necessariam: posse hominem viliberi arbitrii non tantum non peccare, sed etiam non tentari: feminas diuina scientia instrui, & in ecclesia psallere debere, crassioribus vestibus, quibus vtuntur monachi, omnes homines indui debere. Hæc ex S. Augustino & Hieronymo duobus infensissimis Pelagianæ hæreseos impugnantibus. Baronius anno 415. num. 24. & sequentibus.

Pelagius seipsum condemnauit dolose.

<sup>e</sup> Suo iudicio damnatas.] Confirmantur auctoritate verborum S. Augustini quæ supra recensuimus. Id eum veteratorie & per simulationem egisse, testatur idem Augustinus de peccato origin. lib. 2. cap. 8. & 9. his verbis: *Fefellit enim iudicium Palæstinum ipse Pelagius, propterea ibi videtur esse purgatus. Romanam vero ecclesiam, ubi eum notissimum esse scitis, fallere vsquequaque non potuit; quamuis et hoc fuerit vtrumque conatus.* Qua de re pluribus infra in notis Concilii Carthagenensis.